

Dissertatio inauguralis medica, de funiculi umbilicalis neglecta alligatione in causa infanticidii limitanda ... / [Benjamin Gottlieb Wegener].

Contributors

Wegener, Benjamin Gottlieb.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1731]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bweayphv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**FUNICULI UMBILICALIS NEGLECTA
ALLIGATIONE
IN CAUSA INFANTICIDII
LIMITANDA,**

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.
DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSUVETIS,

ANNO MDCCXXXI. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET
RESPONDENS

BENJAMIN GOTTLIEB WEGENER,
CUNERSDORFF. MESO - MARCHICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN AURALIS MEDICINA

DE

FUNICULI UMBILICALIS

CALIS NEGLECTAE

ATTENTIONE

IN CASA INFANTIS

LIMITANDA

AVSBICE ET NOBILITATE
Et Consuevit inque Aab...
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P. R. S. A. D. E.

DN. D. MICHAELIS ALBERTI

ACR. MAJ. REG. BORV. ALM. ET CONS. MADDE CON
SILIARIO, MED. ET PHIL. NAT. PROFESSORIS
DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino P... Promotore...

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISSOUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIIS
SUI DOCT. ALBUS LEGITIME JURETANDIS

ANNO MDCCCXXII...
LACRIMAE...
S...
S...

BENJAMINUS GOTTLIEB WEGENER

B...
... ACAD. TYPOG...



PROOEMIUM.



Commune effatum est, quod JCri etiam allegare solent: *expedit Reipublicæ, ut delicta puniantur, L. ita vulneratus si. s. fin. ff. ad l. Aquil.* quod non modo e fundamento justî & æqui, sed præcipue ex divino & humano jure fluit: hinc crescentibus annis non modo artes & inventiones, sed & delicta horumque varii modi & diversa specimina, ut & pœnæ crescunt: ex innumera illa delictorum serie magni momenti est subitanea fœtus vivi & recenter nati occisio, quæ tanto crudelior, quo magis homines alterius animalis, quod in naturali sua formatione & generatione fructuosa modo capeffivit incrementa, frivollam turbationem & destructionem commiseratione prosequuntur, siquidem sec. TERTULLIANUM in *Apol. c. 9. homicidii festinatio est probiberi nasci. conf. GER-*

HARDI *Harm. c. 154. p. 1102. seq.* Tantis calamitatibus totus ambitus vitæ humanæ per & post lapsum subiectus & circumseptus est, hinc AUGUSTINUS *Lib. 22. de Civit. Dei c. 30.* dixit: *prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, ob id lethum, & quicquid ad hoc disponit, peccati est thesaurus: Mors hæc mille modis quotidie miseros homines inopinato rapit: ait AUGUSTINUS in Soliloquio c. 2. §. 3. hunc necat febribus, illum opprimit doloribus, hunc consumit fames, illum sitis extinguit, hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo, illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; idem testatur SENECA *Lib. III. Controvers. 16.* Multas rerum natura mortis vias aperuit & multis itineribus fata decurrunt: & hæc est conditio miserrima humani generis, quod nascimur uno modo, multis moriamur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes insidiantur huic miserrimæ vitæ: Hæc consideratio ducit nos ad connexam observationem, quomodo homini vel sub formationis aut generationis processu varia vitæ pericula imminent, vel sub partu & post hunc scelestissimo aliquando conatu & actu tenellula vita extinguitur, inde varii modi abactionis, præcipitati ac funesti partus, ut & infanticidii innotuere, qui medicis exacte cogniti esse debent, quo in variis tragicis casibus obviis iudices in foro civili certiores reddere, & difficiles ac ancipites circumstantias discernere, resolvere ac iudiciose dijudicare queant: quemadmodum enim *Lex clara esse debet, Novell. 107. cap. 1.* ita inter Medicos iudicia solida, fundata, ingenua & perspi-*

spi.

spicua sint, (quando Legibus obtemperare & succurrere volunt) ne casus nonnulli intricati, perversis ac præcipitatis dijudicationibus magis confundantur; & dum Infanticidiorum modi varii, insuper aut crassi & manifesti, aut subtiles & adhuc occulti sunt, ita cum prudenti indagazione medici causas huc contribuentes eruere, discernere & ad substratos casus tragicos judiciose applicare debent: enim vero si una circumstantia totam rem variare potest, ita in dubiis casibus nullam circumstantiam præterire, aut negligenter æstimare & tractare convenit: ut enim juxta PETRONIUM ARBITRUM *Satyr. p. 110: non longe esse quærentibus, mortem constat, tamen in variis Infanticidii modis, ambiguæ aliquando intercurrunt causæ, ut judices de vera mortis causa nihilominus dubii existant, dum quidem præsentis mortis infantis tales causæ inclarescunt, quæ puerperæ dolo, malitiæ, culpæ & neglectui adscribi possunt, attamen etiam aliæ causæ præ- & concurrunt, quæ maturiorem lethiferam efficaciam attulerunt, quas propterea annotare & connectere evenit; complicantur itaque nonnunquam causæ morbiferæ, ut huc quadret effatum HERODIANI Lib. II. in vita Pertinacis p. 59. non una eademque cunctis hominibus mortis causa, sed aliæ aliis, cunctæ tamen ad eundem tendentes vitæ finem: in tali causarum accumulatione interest judiciose inquirere & demonstrare, quænam ex singulis causis aut primo, aut potentius vitam subjecti oppresserit: & sane si in ullo casu scrutinium causarum intricatum, spinosum & ambi-*

guum est, certe in Infanticidii suspitione ac delicto tale est, ubi ex prævia gestatione & sequente partu fœtus variæ coincidunt & intercurrunt circumstantiæ, quæ aut alias causas perniciosas ratione temporis & potestatis antecellere, vel ita exacerbare possunt, ut effectus & eventus lethalis inde magis promoveatur & acceleretur: Lex est Jctorum *L. i. C. de his, qui sponte pub. mun. subeunt. Etiam per unum actum contrarium, perditur privilegium*: nos in foro Medico dicimus, etiam per unum judicium contrarium aut erroneum, perditur authoritas & aliquando fides medica in causa Infanticidii; neque etiam præsumptionibus, suppositionibus, aut suspitionibus in Infanticidii casu plena fides tribui debet, ne fallaciam e-lenchi satis luculentam committamus, unde recte judicavit B. BOHNIVS in *Appendice Examinis Vulnorum lethal. dissert. i. de Infanticidio p. 185.* quando ait: *Infanticidii suspicio aliqualis tantum ad hujus pœnam ordinariam decernendam minus adæquata creditur, nisi de modo & infantem occidendi ratione evidente plenius constet: nec desunt casus, in quibus ipsi medici totum statum vel omissione indagationis, relationisque circumstantiarum, vel commissione præcipitati judicii magis intricarunt, ut justa querela exclamet ZACHIAS Quæst. med. Legal. Lib. I. Tit. 4. qv. i. n. i. ubi de causis mortis ex partu & violentia ita differit: quod tractatio hæc maximæ ac præcipuæ difficultatis sit, nulli aut dubium est, aut mirum videri debet: non modo enim ipsius rei natura illam difficilem reddit, & evenientis mortis in propositis casibus causarum complicatio illam facit difficilio-*

rem; sed & ipsi Medici, qui non Jure Consultorum, sed ad proprium intellectum omnia interpretati sunt, eam difficillimam reddiderunt: committitur itaque interdum aliquid in recens natis, quod mortem post se trahit, citra intentionem occidendi, aut aut ex ignorantia aut neglectu, in quali casu probe inquirendum est, an locum inveniat judicium CARPZOVII Crimin. Qu. XV. n. 12. ubi ait: *Certi juris est, quod dans operam rei illicitæ, teneatur de omni eo, quod sequitur, præter illius intentionem & voluntatem, si causa sit ordinata ad subsecutum delictum: quo loco variæ proferuntur exceptiones & distinctiones in decidendis casibus observandæ, quo refert n. 22. quando ex deviatione incircumspecta, imprudentia & stultitia octuque illicito causa parricidio præbetur: addit casus, quando puerpera occultat puerperium & auxilio omni destituta partum negligendo ipsius non debito modo subveniendo causam infanticidii præbet, quæ proprie dicitur versari in culpa lata vel latiori: subnectit porro n. 26. ideoque fustigationem cum legatione perpetua dictare solent Scabini communiter in casu, quo fæminæ puerperium occultantes, vel cingulum umbilici infantis ex imperitia abrumpunt, vel justo modo non resecant, vel aliter partui non subveniunt, & per id causam præbent, ut infans ex nimia sanguinis effusione moriatur: cui declarationi sociat casum practicum & Responsum: quod assertum illustrent SCHÖPFER disp. de Hæmorrhagia vulneratorum cap. IV. n. 29. & KRESSIUS in artic. c. 131. C. C. C. p. 364. * 3. quando dicit: sed si fæmina scivit, quod infanti necessario ex hac incuria sit pereundum, a dolo excusari & pænæ capitali subtrahi*

trahi nequit: Nec regulariter præsumere licet, quod infanticida quid in partu agendum ignoret: recte itaque STRYKIUS de Jure Sensuum diff. I. c. 1. n. 24-26. monet, quod in infanticidio qualitates corporis delicti oculis accurate subjici debeant: Inter alios modos, quibus infanticidia committi solent hoc tantum loco aut voluntariam funiculi umbilicalis disruptionem, aut neglectam illius resectionem & congruam deligationem superadhibitam reterimus, in quo casu & modo tamen notatu dignæ quædam circumstantiæ aliquando occurrunt, quæ judiciose advertendæ, conciliandæ, limitandæ, excipiendæ & decidendæ sunt, quare præsentī Inaugurali themate de Funiculi umbilicalis neglecta alligatione in casibus dubiis limitanda agere constituimus, cui proposito ut divina clementia fructuosos largiatur successus, est quod humillimis votis precibusque contendimus.

§. I.

QVando præsentī labore nonnullas observationes, quoad *neglectam* deligationem *funiculi umbilicalis* proponere cogitamus, primo loco brevissimis *non tam medicis*, quam *aliis* significabimus, *quid* proprie *Funiculus umbilicalis* sit, & deinde *qualem usum* ipse habeat: appellatur hæc pars *intestinuli* aut *canaliculi instar* protensa & prolongata *Funiculus*, quia sua *longitudine*, funis formam præsentat, quæ in *homine* major est, ac in brutis, attamen illico nihilominus *extensione* sua *variat*, ut nunc *trium*, nunc *quatuor* spithamarum, aut *ulnæ unius* cum *dimidia* lon-

longitudinem exequatur ac attingat (quamvis longitudo-
nem hanc *discrepare* testetur MAURICEAU *in observ. circa*
gravidit. & part. mul. obs. 401. 640. CONF. HOBOKENIUS *de*
secund. bum. anat. artic. c. 2. art. 4. §. 3. ubi exempla recensentur
de *circumvolutione colli cum funic. umbil. quater facta* :
Præter naturam *v. brevis* funiculus umbil. describitur *in A.*
N.C. dec. 3. an. 4. obs. 113. & in prædict. obs. MAURICEAU) crassitie
vero minoris pollicis, vel ut HOBOKENIUS *in anat. secund.*
bum. artic. V. §. 6. p. 39. l. c. dicit: *pennæ olorinæ c. 3. art. 4. §. 3.*
amplitudinem & circumscriptionem compleat; una extre-
mitate *placentæ uterinæ* cum membranis foetum circum-
dantibus & præc. vasis sanguiferis, altero extremo *umbilico*
foetus connexus est: nominatur porro a *similitudine* funi-
culus, dum porro *circumvolutione* ac contorsione mode-
rata instructus est, de qua BARTHOLINUS *in anat. reform.*
c. 37. p. 316. dicit: *extra umbilicum & placentam unita hæc*
vasa in funiculo suo dum progrediuntur, inter se egregie
contorquentur; ordinata tamen ut plurimum circumvolu-
zione: in hoc funiculo tortuoso reperiuntur *vasa sangui-*
fera, vena videlicet *umbilicalis*, satis capax è *placenta ute-*
rina per *umbilicum* embryonis in corpus hujus transiens,
& nunc *uno ostio* in *venæ Portæ truncum*, nunc *duplici*
crure, aut ramo, vel uno in V. P. altero *immediate* in *he-*
par, (sed hoc quidem *varius*, licet HIGHMORUS *in disqv.*
anat. Lib. I. part. 4. c. 7. p. 113. egressum hunc hujus venæ
ex *scissura quadam hepatis in fimbria ejus anteriori sita*, &
nonnunquam geminatum progressum illius in umbilicum,
asseveraverit, cui tamen observationi NEEDHAMIIUS
de format. fet. cap. 4. p. 101. 103. 104. minus subscribit. IOH.
MAUR. HOFFMANNUS *in idea machinæ bum. Sect. XIII. §. 11. p.*

iii. afferit: in funiculo umbilicali notandæ sunt venæ, totidem ac arteriæ, à vena ex peculiari hepatis fissura enata, & intra abdominis ambitum simplici, postea autem divisa, ortæ) aut sub firma hepatis parte in ramum Venæ cavæ, hepar egredientem se insinuans ac immergens: cujus venæ cavitas sua amplitudine, aut ut hodierni medici mechanici euphoniæ gratia eloquuntur, suo diametro arterias umbilicales, simul sumtas, aut æquat, aut superat, de hac REGNERUS DE GRAAF de mulier. organ. generat. inserv. tract. I. cap. 15. dicit: arteriis umbilicalibus una vena respondet, ast tanta ut arterias has simul sumtas facile superet: originem habet ab hepate & tortuoso ductu una cum arteriis tota ad placentam excurrit; præterquam quoad ramulos quosdam in transitu amnio & chorio impertiat: de hac vena dicit HOBOKENIUS l. c. art. 6. §. 18. p. 55. venam umbilicalem prope placentam observavi patentiorem & adaperiam intus valde æqualem lævemque: §. 19: circa nodos vero arteriarum hic illicque ipsi obvios ac vicinos, angustiores: addimus TILINGII verba de Placenta uteri artic. 4. p. 166. Cl. de Marchette venam hanc umbilicalem duo principia obtinere scribit; unum scilicet a Vena Portæ, alterum vero a vena cava; quod rarissimum vero est: quam ob rem ut plurimum hæc vena capacior est, ac in Portæ Venæ truncum immergitur: Præterea in hoc funiculo umbilicali deprehenduntur duæ arteriæ ex iliacis fetus arteriis exeuntes, testantibus pluribus anatomicis, utpote KERKRINGIO obs. anat. 19. LAURENTIO Histor. anat. hum. corpor. Lib. 6. c. 9. BARTHOLINO, DIEMERBROECK. c. 32. p. 118. aliisque pluribus: attamen NEEDHAMIIUS l. c. c. 4. & GRAAF l. c. aliunde illas derivant, siquidem posterior ait:

ait: *arteriæ non a cruralibus, sed ab aortæ extremitatibus derivantur, & ad vesicæ urinariæ latera adscendentes urachum concomitantur, cum eo extra fœtus abdomen excurrunt: ubi a se invicem dispertitæ, vel simul unitæ, (uti FALLOPIUS in suis observ. anat. se sæpenumero observasse asserit) circa fœtus principium per liquores primo, dein per ejus membranas, ac postremo in placentiferis, ad placentam, in glanduliferis, ad glandulas sive moleculas chorio undique adnatas vergunt, quibus vero placenta deest, innumeris ramificationibus per chorion disperguntur: LAURENTIUS contra de hisce arteriis judicat: arteriæ duæ a ramis iliacis prodeuntes, peritonæi membranis suffultæ, sursum ad umbilicum prorepunt; sunt autem arteriarum iliacarum propagines potius, quam radices: de hisce vasis sanguiferis VERHEYEN præc. ut & varii alii anatomici referunt: quod ubi hæc vasa sanguifera membranas fœtum ambientes penetrant, furculos nonnullos in amnion, plures vero illorum in chorion transmittant & innumeris in placentam uteri transeant: Ad hunc funiculum umbilicalem urachus proprie haud spectat, quia in hunc non extra umbilicum progreditur, sed modo in umbilicum communiter in homine terminatur: prædicta vero vasa sanguifera extrinsecus membrana aliqua crassa, amnio cohærente involuta & cum hac modice contorta sunt, ita ut cum eodem involucro membranoso funiculum talem, aut laqueum, unde dicitur: die Nabel-Schnur, der Nabel-Strang constituent, de qua tunica BARTHOLINUS l. c. quod non solum omnia vasa involvat, sed & distinguat singula & quod bujus tunicæ usus sit, ne vasa invicem implicentur, rumpantur, aut alio modo labantur: impr. venæ,*

quæ simplicem tenuemque membranam habet, firmitudini inserviat, unde huic observante Hobokenio peculiariter jungitur, ut non nisi difficulter ab ea separetur: addimus DIEMERBROECKII verba Anatom. L. I. c. 32. p. 222. ad vasorum umbilicalium securitatem iis circumjicitur involu- crum, quod intestinulum, aliis funiculus appellatur (multo- ties etiam per funiculum tota umbilicalis productio cum suis vasis intelligitur) estque pars membranosa, teres, cava, mediocriter crassa, duplici tunica constans (harum inte- rior a peritonæo, exterior a panniculo carnosio producta vulgo putatur, vasa umbilicalia simul comprehendens ac investiens (à sanguine his vasis contento foris variæ in eo maculæ conspicuæ sunt, à vena latiores & obscuriores, ab arteriis vero rubore, vel ex rubro livescentes) cum quibus funis in modum contorquetur; hæc tamen contorsio in a- liis major, in aliis minor existit: interdum etiam solum in- testinulum contortum vidimus &c.

§. II.

Hujus funiculi umbilicalis vasa sanguifera in alte- ra, qua placentam uterinam attingunt, extremitate mini- mis ramulis in substantiam illius placentæ se immergere, haud difficilis probat adspectus, de quibus ramulis me- dici adstruunt, quod variis concretionibus sive anastomo- fibus inter se, ut & cum vasis placentæ ipsius complicata ac connexa sint: quales anastomoses ex autopsia quidam confirmant, ut BARTHOLINUS l. c. p. 314. sq. FABR. AB AQUAPENDENTE de format. fæt. p. 132. HIGMORUS dis- quis. anat. Lib. I. part. 4. c. 6. alii vero coalitum præc. va- sorum funiculi cum vasis uterinis placentæ negant, ut RI- OLANVS animad. p. 228. SLEGELIUS in comment. de sang. mot.

mot. p. 98. SPIGELIUS de fact. format. P. I. c. 3. & P. 3. c. 1.
DIEMERBROECK Lib. I. c. 30. p. 201. & cap. 32. p. 259. edit. in
fol. HOBOKENIUS l. c. ait quemadmodum anastomoses
valde mutabiles ac discrepantes existunt, ita in uno sub-
jecto alicubi occurrunt, in alio minus: insertio hujus fu-
nis cum placenta uterina fit juxta relationem HOB-
KENII artic. V. §. 25. p. 46. intus per fibrosæ filamentosæque
contexturæ funis propriæ, cum placentæ penetralibus com-
munionem §. 26. eoque pacto ac medio per vasorum umbili-
calium a funis interioribus per placentæ superficiem, in-
stâr arboris rami a trunco, divertentium propagines: §.
27. extra vero non tam per membranæ amnii (quippe uti
a placenta separabilis sponte, sic separata ad funis insertio-
nem usque frequentissime deprehenditur, quæque extrinsecam
probat funis ejusdem productam investituram) quam per
membranæ chorii, tum late tum stricte acceptæ cum fune
continuitatem: neque etiam hic funis curatius in medie-
tatem, aut centrum placentæ immergitur, sed abhinc pau-
lulum declinat, quare l. c. p. 44. 45. §. 20. 21. loquitur HO-
BOKENIUS: ad hæc, cum ejusce funis cum placenta con-
junctionem quod facit, notatu dignum judico, quod in hoc
quoque subjecto illum primo non suspendi animadverterim,
juxta perpendiculum, sed proximo Placentæ extremo sem-
per aliquatenus influxum, deinceps conjunctionem ejusdem
non obtinere observavi Placentæ medio, seu Centro, sed ex-
tra idem: ut si circulus ex funi obtingente insertionis pun-
cto ducatur, semper placentæ excentricus ducatur: annecti-
mus verba HOFFMANNI in idea mach. hum. l. c. funiculus
umbilicalis est ductus membranofus, ac tortuosus, placentæ
tandem excentrice aliquot digitorum a circumferentia di-

stantia per expensas filamentosas fibras insertus, nodosis protuberantiis & sibi propriis & arteriarum umbilicalium rotundis &c. Præter hæc recensita vasa funiculi umbilicalis, commemorat adhuc NEEDHAMIUS de format. fœtu c. 3. & 4. vasa omphalo mesenterica, de quibus dicit: non raro occurrunt vasa è mesenterio oriunda, quæ umbilicum similiter pertransseunt, sed diversim a cæteris iter conficiunt, neque enim placentam intrant, sed alio ingrediuntur; in canibus, felibus, forte etiam in vulpe, aut lupino genere ad membranam peculiarem tendunt figura alantoiden & c. 3. descriptam: in cuniculis quoque umbilico exeuntes mox funiculum deserunt & super membranam sparguntur humore sui generis turgidam: & GRAAF l. c. c. 15. loquitur: præter hæc vasa in quibusdam animalibus, reperiuntur alia a mesenterio orta, quæ postquam umbilicum pertransierunt, non ad placentam, sed ad chorion ad peculiarem membranam exspatiuntur: sed quia tale quid in homine non inuenitur, non nostri est laboris. Aliqui etiam loquuntur, quod Nervi dentur umbilicales, adeoque ad funiculum umbilicalem referendi, sicut A. E. L. Ao. 1693. Septembr. p. 434. EX VERHEYENI Corp. hum. anatom. tract. II. p. 117. commemorant hisce verbis: nervos dari umbilicales, ab anatomicis hæcenus neglectos duplici argumento persuadere nititur: partim quod a lateribus venæ umbilicalis corpora quædam albicantia & duriora nervis plane affinia, per totum funiculum ad instar filii excurrant, ac circa ingressum in placentam uterinam, æque ac nervi in pluribus partibus sensim occultentur & quasi evanescant, partim quod placenta de glandularum natura maxime participans non minus ac aliæ glandulæ spirituum affluxu propter

pter materiam sequestrandam indigeat: ast DIEMERBROECK
Lib. I. c. 30. p. 202: nervorum existentiam in funiculo um-
bilicali negavit: de membranoso vero horum umbilicalium
vasorum involucro dicit DIEMERBROECK c. 32. p. 222. ner-
vis paucissimis frui creditur, sicut chorion & amnios, quia
sensu non indigebat; addimus testimonium MAURICEAU
in apbor. 204: de graviditate & partu: totus funiculus um-
bilicalis insensibilis est, quia plane nulli nervi illum percur-
runt. Inveniuntur etiam in funiculo umbilicali nodi ac ma-
culæ, priores in arteriis observantur, quorum origines plu-
rimi anatomici scrutantur, ut DIEMERBROECK c. 32 p. 222.
BARTHOLINUS l. c. p. 311. 318. HOBOKENIUS l. c. artic. 7.
TILINGIUS l. c. art. 4. p. 168: aliqui nodulos in vena et-
iam esse contendunt, ut HARVEVS de uteri membrana,
BARTHOLINUS l. c. p. 311. & TILINGIUS l. c. p. 168. HOB-
KENIUS vero nullos in vena reperit: ast in arteriis artic.
V. §. 10. & artic. VI. §. 15. 19. cujus verba sunt: ad nodorum
extrinsecus observabilium accuratiorem contemplationem
procedens, iterum in vena hac nodos reperi nullos genuinos
§. 16. in arteria vero utraque uti maculas clarissime obser-
vavi, extrinsecus obvias, ita nodulos comperi genuinos. §.
19. circa nodos vero arteriarum, hic illicque ipsi obvias ac
vicinas, angustiores: de vanitate auguriorum ex hisce
nodis vid. CASP. REJES Camp. Elyf. qu. juc. 52. BARTHO-
LINUS l. c. p. 311. DIEMERBROECK Lib. I. c. 32. p. 223. TI-
LINGIUS l. c. p. 170. RIEDLINUS Cur. med. 68. A. N. C. dec.
an. 7. obs. 209. & dec. 3. an. 4. obs. 113. SPIGELIUS de formato
fætu. cap. X. MAURICEAU von Schwangern und Kreisten-
den allerbesten Hülfss-Leistung Lib. 2. c. 4. ast cum proprie
ad nostrum institutum horum nodulorum & talium macu-
larum

larum indagatio non spectet, sufficiat paucam mentionem de iisdem fecisse: loquuntur etiam anatomici, quod in vena umbilicali valvulae inveniuntur, ad cobibendum regressum sanguinis intra & versus placentam uterinam: de hisce valvulis dicit DIEMERBROECK *L. 3. c. 32. p. 218.* haec valvulae propter summam tenuitatem difficillime demonstrari possunt, sed eas adesse inde suspicari merito licet, quia sanguis a fetu versus placentam digitis promoveri nequit, cum facile promoveatur versus fetum: de HOBOKENIO vero referunt DIEMERBROECK *l. c.* & TILINGIUS *l. c. p. 66.* quod in vena umbilicali nullas genuinas valvulas invenit, sed varias sinuosas inaequalitates, vid. HOBOCK. *art. 9. §. 4. 5. 9.* quas HOBOKENIUS *artic. 8. §. 17. 19.* & DIEMERBROECK valvulae analogas nominant: & quando aliqui arteriis valvulas inexistisse asseruerunt, tamen hoc assertum refellit HOBOKENIUS *l. c. artic. 8. §. 15. p. 81.* & VERHEYEN *Supplem. anatom. tr. V. c. XI. p. 342.* TILINGIUS refert, quod in funiculi tractu in eadem vena nulla valvula inventa fuerint, sed extra funem, circa venae ramificationes & harum per placentam facta divortia multas reperisse valvulas. Vasa lactea, quae a WARTHONO funiculo umbilicali inexistere & a placenta provenire dicuntur, tunc DIEMERBROECK *c. 30. p. 202.* ad HOBOKENI observationem provocans, nec lactea, nec lymphatica illico reperisse asserit: Color legitimus funiculi umbilicalis albicans est, quem ita TILINGIUS *l. c. p. 213.* describit: color maximam partem albicans est, uti nonnullis quoque in partibus, circa vasorum contentorum intorsiones cinereo rubescens, quare ex albicante & flavescente colore signum vivi & mortui foetus colligunt authores. vid. AMMANNI

Prax.

Prax. Vuln. letbal. dec. 6. hist. 8. p. 472. VALENTINI Novell. Cas. 47. Resp. Fac. Med. Gieff. de externa superficie idem author scribit p. 212. superficies ejus cætera est tam æqualis ac levis & ad tactum certe tam mollis, ut ex serico mollissimo confectam referat vestem: sicut in mortuo fœtû flaccidus ac rugosus funiculus umbilicalis existit: vid. AMMANNUS ib. Crassities membranosi involucri non densa, rigida, asperaque, sed ita constituta est, ut ad continenda & defendenda vasa satis robusta, ita tamen comparata existat, ne eadem comprimat transitumque sanguinis per illa non impediât, de reliquo EX HOBOKENII artic. 6. §. 3. & 4 p. 50. hanc succinctam & nostro scopo quadrantem anatomicam funiculi umbilicalis descriptionem ob signamus: quando de illius funis constitutione ac compositura interna ita differit: adinveni enim compagem ex innumeris fibris ac fibrillis, varia modificatione conjunctis atque humore peculiari perfusis constantem: eamque communi investitura ac tunica munitam: & affabre adeo inserta connexa atque comprehensa reperi monstrata sæpe hæc vasa umbilicalia, ut mirari non potuerim satis summi opificis sapientem Potentiam. Pro humectanda ac emollienda hac membrana, vasa funiculi vestiente, inservit, præter alios usus, Gelatina ita dicta Warthoniana, quam HOBOKENIO placuit c. V. art. 2. §. 13. appellare coagulum liquoris allantoidæi.

§. III.

Nunc vero in ordine hujus funiculi umbilicalis usum brevibus annotabimus: quo loco minime traditiones antiquiorum allegare lubet, quibus processus ac ordo progressus sanguinis nondum satis cognitus fuit, qui propterea contrariam sententiam proposuerunt: hinc rectius as-

severamus, quod cum *vena umbilicali* sanguis ab *utero* matris in *placentam affluus* & cum *alimentosa* substantia imprægnatus, mox ad *hepar fætus* deferatur, singulari plane *divina* providentia, quod non ad *aliam* corporis partem, nec *immediate* intra *cor* transferatur: sicut enim *hepar præcipuum organon colatorium* in *œconomia* vitali existit, in quo a sanguinis massa & commixta *gelatino-fa*, ac *lymphatica* parte *coherentes impuritates* potissimum separantur, indeque *lymphapura* ac laudabilis, sanguini, *versus cor* progredienti, communicatur, ita *idem* negotium in *embryone* jam succedit, quo ad corporis efformationem mox *purissimus* humor alimentosus impendatur: quare per hanc venam umbilicalem sanguis *ad fætum affluit*, licet *excepta* Vena Portæ aliàs in natis & *libere viventibus* hominibus, sanguis per venas a partibus *refluente* motu discedat: in fætu itaque *umbilicalis* vena utpote *propago Vena Portæ* considerari debet; quemadmodum *per alias hujus Vena* ramificationes ex parte *lymphæ* massæ sangu. interflua, ut & glandularum mesentericarum perinde in *truncum illius Vena* & *tandem in Hepar* ipsum promovetur: est eapropter *vena umbilicalis* canalis ille, per quem ex *placenta uterina*, velut naturali penario, *alimentum* ad sustentandum, *struendum*, amplificandum & confirmandum *corpus fætus* indefinenter affunditur: qui sanguis quando *intra hepar* fætus effusus est, proxime *ex eodem vena cavæ* lateralem ramum ingreditur, mox per illam venam *ad cor* defertur, in quo sanguis, ita prout fætui competit, circulator, ut portio illius, sub uno simplici progressu, *dextrum* cordis thalamum hoc tempore *non* ingrediatur, sed per *foramen ovale* in *venam pulmonalem* proximius
circa

Circa *sinistram auriculam* se immergat, adeoque illa portio sanguinis, quæ nunc *effugit* & prætergreditur *dextrum* cordis antrum, in *sinistrum* penetret, sed quia *alia* portio sanguinis a *vena cava afflua* illum *dextrum* cordis alveum *ingreditur*, ita evenit, ut hic sanguis *systole* *hujus* ventriculi in *arteriam pulmonalem* effundatur, quæ quia ob pulmonum *collapsum* in toto suo tractu, transitu & canali *præclusa* est, ita proxime adhuc huic *dextro* ventriculo adjacens, ductum *transversalem arteriosum* in *aortam* aut magnam arteriam insinuat & sanguinem illum à *dextro* ventriculo adventantem, non in *sinistrum* vehit, sed *prætervehit*, ex quo ille sanguis, qui ex foramine ovali in *sinistrum* pervenit cordis thalamum, nunc *systole* *hujus* expellatur & simul ille sanguis ex *arterioso* ductu affluus *simul abripiatur*: sub hoc motu *systaltico* *sinistri* cordis ventriculi *aliqua* quantitas *e tota massa* proveniens in *iliacas externas & internas* profunditur & ex hisce in *connexas* duas *arterias umbilicales* propellitur, ita ut sub *qualibet* cordis *systole* talis sanguinis expulsio continuet, qua hic sanguis *iterum* in *placentam uterinam* defertur: hinc anatomici experimentum instituerant, ut *venam umbilicalem* aliqua *ligatura* obfirmarint, inde contigit, hanc venam intra *placentam & ligaturam* intumuisse, intra hanc *ligaturam* vicissim & *umbilicum* fœtus detumuisse: manifesto testimonio, quod sanguis *ex placenta per hanc venam ad fœtum* progrediatur, quando vero *arteriæ ligatæ* fuerant, accidit, ut *intra umbilicum* fœtus & *ligaturam* intumuerint, intra *ligaturam* vicissim & *placentam* detumuerint, testimonio perinde luculento, quod *a fœtu in placentam* sanguis effluat: quod experimentum illustratur

turalio a ROLF INCIO instituto experimento *Lib. 6 dissert. anat. method. synthet. exarat. c. 32.* quando exili tubulo inflata fuit vena umbilicalis, unde *corpus fetus* inflatum fuerat, testimonio, quod per hanc venam progressus tendat ad & *intra fetus corpus*: & quamvis *extranea membranosa investitura*, ut & *tortuosa circumvolutio totius hujus funis non modo pro munimento horum vasorum sanguiferorum*, sed & pro *moderamine* (*vid. HOBOKENIUS l. c. cap. V. artic. 3. §. 15.*) progressus sanguinis ad & refluxus inserviat, tamen nihilominus hic *progressus sanguinis satis efficaciter succedit*, ut non ita *sæpe*, aut *facile* in eodem impedimenta eximia ac *perniciosa* occurrant.

§. IV.

Quoniam itaque per sæpe memorata vasa sanguifera *continuus fluxus & refluxus sanguinis ad fetus & ab eodem* contingit, (*vid. HOBOKENIUS l. c. c. V. art. 3. §. 20. 21*) ita facile colligere licet, quod ejusmodi ductibus ad & *revehentibus, nulla injuria, læsio & difficultas supervenire* debeat, ni *fœtui inde grave suæ vitæ detrimentum* accidat (*fufius utilitatem funiculi umbilicalis exposuit sæpe cit. HOBOKENIUS l. c. cap. V. art. 1. 2. 3.*) quam ob rem *ordinarie sine ligatura* hic funis *refecari, violari, separari, avelli & dirumpi* haud debet, ni sub *relaxatione nodosa* illius constitutionis ac libera vasorum apertione sanguis ille à *placenta per venam umbilicalem affluus & per similes arterias refluxus* largam profusionem patiat, sub qua *embryo aut infans graviora experitur damna, quam ipsa mater*, ut sub *longinquiori effluxione sanguinis per venam umbilicalem* ex placenta uterina in quam *ex parte*
sanguis

sanguis *ex utero* , hujusque vasis sanguiferis pervenit , corpus matris *necessaria* sanguinis copia valde *destituatur* & præter *eximiam virium* prostrationem, *fonticis, vitæ* ac *sanitati* admodum præjudiciosis, alterationibus offendatur : respectu *fætus* vero evenit, ut quando *vasa* hæc umbilicalia *disrupta* , aut aliquo modo *dilacerata* sunt, si *fætus* adhuc *vivus* ac *mediocriter viribus* præditus est, neque tamen funiculus talis *tempestive* deligatur, tunc ex *arteriis* sanguis *fætus* *projiciatur*, per *venam* vero umbilicalem *novus affluus* sanguis *non restituitur*, hinc facile *emortuali*, aut *lethifera* hæmorrhagia *fætus* *extinguitur*: nec tantum ex *arteriis* illis umbilicalibus *lethalis* hæc hæmorrhagia provenit, sed & *non pauca* sanguinis copia ex *vena umbilicali retrogrado* motu effluit, ut *tali* etiam modo *mors* *fætus*, aut nati *infantis*, acceleretur & promoveatur: quare *haud ficti*, sed in observatione medica cogniti utique casus sunt, quod sub *improvida* , vel *nimis arcta & stricta* deligatione funiculi umbilicalis, vel *valde proxima* ad *abdomen* instituta *ligatura*, ut sub *retractione* umbilicali *ligatura* *cedere* nequeat, sed *disrumpere* debeat, ut & si funic. umbil. *brevior* justo *resectus* est, ut ligari nequeat. *vid. AMMANNI Prax. Vuln. leth. dec. 6. hist. 8. p. 470. WELSCHIUS ration. vuln. lethal. judic. c. V. p. 55. CARPZOV. Prax. Crimin. Part. I. qv. 15. n. 26. conf. SPIGELIUS de formato fætu c. X. nec non sub nimis laxa* ejusmodi *ligatura*, aut *firma constrictione* cum *valde tenui* filamentis, indeque proveniente *incisione*, aut *plenaria discissione* , *vasa* sanguifera lædantur, aliquando *incompefcibilis* hæmorrhagia ex *iisdem* oriatur, denique *mors* *subjecti* præcipitetur : hinc *WOLFFIUS in A. N. C.*

an. 7. obs. 193: circumspectam hujus funiculi deligationem & attentam observationem commendat, quoniam *duobus* exemplis ob inopinatam vasorum umbilicalium apertionem & prodigam Hæmorrhagiam periculosum & *lethalem* eventum probavit: *vid. MAURICEAU de gravid. & puerp. Lib. 3. c. 16. Ejusd. apbor. 207. de gravid. & partu Berlinische Wehmutter c. 6. p. 130.* utut enim funiculus umbilicalis *membranosum* constituit vestimentum, insuperque ob *majorem* firmitatem acquirendam *tortuosa* circumvolutione præditus est, tamen *multiplices* causæ ad illius *læsionem* & *gradu* differentem rupturam contribunt; quemadmodum enim *investitura* funiculi, latitantia ac *intrinsecus* transeuntia vasa sanguifera, contra varias *offensiones* defendit ac munit, tamen ipsum illud cingulum ac munimentum *violationi* obnoxium est: etenim *haud* ita facile evenit, ut salva investitura intrinsecus vasa lædantur, quod probavit HOBOKENIUS *l. c. artic. 7. §. 15--22.* interea *totus* funis avelli & *disrumpi* potest, quale exemplum profert idem author §. 23. quemadmodum talis læsio ex *difficili* partu & *imprudenti obstetricatoria* ope non raro observatur: hinc author nominatus §. 22. dicit: *ante totus transversim rumpitur funis, quam singula seorsim læduntur conclusa vasa*: quamvis vero ob hanc funiculi umbilicalis *læsionem* fœtus vita privari solet, tamen *nimia* etiam illius *contorsio* & *arcta* constrictio partim ejus *dilacerationem* causari, partim sine hac transitum & *progressum* sanguinis per hunc funiculum *sufflaminare* potest & solet; talem casum *posterioris* conditionis recenset RUYSCHIIUS *in Cent. obs. chirurg. obs. XI.* & obsignat hanc observationem hisce verbis: *verosimile*
quo-

quoque est malum istud a frequentiori circumgyratione fœtus ortum duxisse in utero, ejusque mortis fuisse causam: utpote humorum circulatione per funiculum in totum impedita: quoniam vero per funiculum umbilicalem magna sanguinis quantitas perpetuo affluxu & refluxu, progressum suum servat, ita illius laceratio valde periculosa est, & si eidem congrua medela tempestive haud adhibetur, aut plane applicari nequit, - si forte ante & proxime in umbilicum vasa sanguifera retracta fuerunt, lethalis plane est eventus, de quo casu adstruunt, quod infans passus fuerit lethiferam hæmorrhagiam, das Kind habe sich zu tödt bluten müssen: id quod præcipue contingit in infantibus, in quibus comparate sufficiens vigor vitalis præsto est, adeoque sanguis progressum suum libere & naturali modo ac ordine servat: quando vero fœtus aut infans mortuus est, tunc motus sanguinis in corpore illius & per funiculum umbilicalem cessat, id quod etiam contingit, quando fœtus aut infans extrema laborat imbecillitate aut lipothymia correptus delitescit; aut arte funem illum circa brachia, pedes aut collum duxit & volvit, ut ita transitus ac progressus sanguinis sufflaminetur.

§. V.

Quod itaque per funiculum umbilicalem non deligatum extrema ac enormi sanguinis profusione malitiose, dolose & destinato consilio fœtus aut infans occidatur, uberrima ab authoribus allegantur testimonia atque exempla: quod enim simultaneæ ac excessivæ hæmorrhagiæ in adultioribus ac robustioribus causantur subjectis, id tanto citius, certius & potentius eadem in tenellulis efficere solent: quare unanimes est medicorum sententia, quod

quod *omissa vasorum umbilicalium ligatura* in subjectis secundum *prædictas* qualitates descriptis, mortem absolute causetur: allegamus hoc loco AMMANNUM, qui in *Medic. Critic. Cas. & discurs. 69. n. VII. p. 454.* aphoristice judicat: *vasa umbilicalia, studio non deligata, plenariam inferunt letalitatem & in Responso p. 455. n. 4. differit & decernit: utique præsentissimam mortem & letalitatem absolutam causatur non facta vasorum umbilicalium deligatio: dum hac ratione infans sanguine & spiritibus vitalibus privatur, prout experientia suffragiis suis hoc comprobat, ideo etiam medici sine exceptione, non factam umbilicalem deligationem pro absolute & simpliciter letali reputant: idem iudicium in Praxi sua Vulnerum letalium decad. 6. hist. 1. p. 405. & hist. 8. p. 472. affert: addimus verba WELSCHII in iudicio rationali vulner. letal. cap.: 5. p. 54. 55. Vasorum umbilicalium neglecta, vel perperam & malitiose administrata præcisione, frequens sane committitur infanticidium: sive etiam plane negligatur præcisio, sive præsectus umbilicus decenter minus, aut plane non deligetur, subito sanguinis & spirituum diffluvio, moriuntur miselli ac pereunt: confirmat & illustrat hoc iudicium author Responso Medico: huc referimus iudiciosam succinctam ac nervosam BOHNI sententiam, quam in *dissert. de infanticidio Renunciationi vulnerum letalium* annexa p. 185. profert, dum ait: *nequitiarum s. technarum infanti exitiosarum primum locum tenet funiculi umbilicalis a secundina avulsi aut præsecti, sive animo maligno sive per ignorantiam neglecta deligatio, ratione binarum arteriarum, quas involvit, laceratarum Hæmorrhagiam lethalem inferens: qualis tamen culposi Funiculi administratio tunc de-**

mun

num admitti valet, ubi multum sanguinis per vasorum distorum aperturas promanasse constat, cum parcius ejus profusio tenellum ante partum expirasse innuat. Et hujus judicii, in ratione & observatione fundati, veritatem testantur multiplices casus, conf. ZITTMANNUS Med. Critic. Cent. II, cas. 20 p. 410. n. 1. in responso: Daß ein Kind, wann es nach obberührten Zustand seiner Mutter geboren wird, ohne sonderbare rechtschaffene Verbindung der Nabel-Schnur nicht leben könne, sondern nothwendig sterben muß, und zwar desto eher, wann es in 8 Monat zur Welt kommen: huc pertinent testimonia prædictorum authorum AMMANNI, WELSCHII, BOHNII, & casuum ab iisdem allegatorum: varios ejusmodi casus commemorant Acta Berolinensia Decad. I. Vol. 2. p. 119. Vol. 4. p. 87. Vol. 8. p. 68. Vol. 9. p. 60. Dec. 2. Vol. 3. p. 48. Vol. 6. p. 80. Vol. 9. p. 37. Breslauische Geschichte der Natur und Kunst 31 Versuch p. 305. ubi rea ac inquisita confessæ demum fuit, quod cum malo dolo & intentione ex non deligato funiculo umbilicali vivum natum infantem lethifera consequente hæmorrhagia extinxerit: Et hoc quidem ut plurimum ita contingit, ubi rarissimi casus hanc observationem haud infringunt ac refellunt: quamvis enim recenseantur historiæ de infantibus sine funiculo umbilicali natis, quales occurrunt in A. N. C. Dec. 2. an. 7. obs. 209. & in STALPART V. DER WIEL observ. rar. Part. Posterior. obs. 32: tamen ejusmodi historiæ id referunt, quod nati infantes aliquali frustulo avulsi, sed concreti funiculi umbilicalis adhuc suo umbilico adhærente, nec non relicta placenta uteri cum residuo, huic connexo, frusto ejusdem funis præditi fuerint; unde facile constat, quod principaliter tales embryones per hunc funiculum nutriti sint, donec accidens illud intervenit, quod funis il-

le separatus & sub peculiari *divino* providentia ac *natura* *extraordinaria* œconomia fœtus, usque ad *naturale* partus tempus conservatus fuerit: Juxta Medicorum sententiam, hanc observationem ac decisionem assumunt, judicant & applicant *Œti*, è quibus allegamus CARPZOVIVM in *Prax. Crim. Part. I. qv. XV. n. 25.* ubi ait: *ita in casu, quo puerpera puerperium occultando & partum negligendo causam dat parricidio, mors infantis non immediate ex occultatione & negligentia provenit, sed potius ex aliis supervenientibus symptomatibus, nimia effusione sanguinis, frigore &c. quæ puerpera adjecta aliorum auxilio avertere potuisset. Ipsa itaque non tam principaliter de morte infantis, quam de sua negligentia, & culpa enormi mortem tamen causante tenetur: n. 26. ideoque Fustigationem cum perpetua relegatione dictare solent Scabini communiter in casu, quo fœminæ puerperium occultantes, vel cingulum umbilici infantis ex imperitia abrumpunt, vel justo modo non resecant, vel aliter partui non subveniunt & per id causam præbent, ut infans ex sanguinis nimia profusione moriatur: vid. etiam n. 28: huic testimonio adjicimus aliud, quod SCHÖPFERI est in *diff. de Hæmorrhagia Vulneratorum cap. IV. n. 26. seq. 29. seq.* hoc merito refero hæmorrhagiam vasorum umbilicalium, culpa vulnerantis, in recens natis letalem; testantur enim medici ex vasis umbilicalibus non deligatis mortem facillime tenellis accersi: recenset mox author Medicorum testimonia & annectit: n. 29. Si ergo mater infantis sui vasa umbilicalia non deligaverit, infans vero ex hæmorrhagia mortuus sit, an matri parricidæ ultimum dictandum supplicium? distinguo an mater habuerit animum occidendi, an non: si ex ignorantia, imperi-*

tis,

*ita, vel animi corporisque debilitate, infanti recens nato
 suppetias tulerit, nec vasa umbilicalia debite deligaverit,
 pœna obtrinebit fustigationis vel relegationis: associamus
 hisce testimoniis LUDOVICI suffragium in notis in Constit.
 Crim. Carol. artic. 35. p. 50. ad modos interfectionis interim
 & hic pertinet, wann dem Kind die Nabel-Schnur nicht
 verbunden wird: Adjungemus responsum medicum ex Actis
 Inquisit. Mens. Majo A. 1707. ad Facult. nostram transmissis,
 ubi de hac re ita: sequitur jam excerptum Responsi Me-
 dici: überdem haben wir auch die Nabelschnur gar genau examinirt,
 so uns vor Augen lag, und wie oben gedacht, nicht ein Tröpflein Blut
 darinnen gefunden, diese war 3 qweer Finger breit mit einer stumpf-
 fen Scheer oder Messer abgeschnitten, und gar nicht verbunden, dabe-
 ro alles Blut auf einmahl häuffig, nachdem das Kind eine kurze Zeit
 dargelegen, aus dessen grossem vase ohne Hinderung herausgelauffen,
 , , , wie dann auch inwendig in denen Adern und arterien wenig Blut
 propter hæmorrhagiam magnam vorhanden war: , , Schliessen dero-
 halben billig und mit höchstem Recht, daß bey bemeldtem Kinde die un-
 verbundene Nabelschnur, pro vera & immediata causa mortis & consequen-
 ter pro vulnere per se & simpliciter lethali zu halten sey. KRESSIUS
 in Commentat. succincta in C. C. C. art. 231. p. 364. n. 3. judicat:
 Refert ad hanc classẽm CARPZOV. eam speciem, ubi fœmina
 umbilicum infantis non obligavit, & infans effluxu san-
 guinis inde periit; sed si fœmina scivit, quod infanti ne-
 cessario ex hac incuria sit pereundum, a dolo excusari &
 pœnæ capitali subtrahi nequit: Nec regulariter præsumere
 licet, quod infanticida, quid in partu agendum, ignoret:
 Nam de mulierum fatis, puerperarum & parientium statu
 mater & avia cum juvenculis sermones cadunt, tantum non
 quotidianos: quod ultimum assertum tamen incerta niti-
 tur præsumptione, nec quicquam probat: suffecerit vero
 hæc Medicorum & JCrorum testimonia allegasse.*

§. VI.

Sicut vero in *mortuo* fœtu & infante motus sanguinis *progressivus*, adeoque *pulsus cordis cessat*, ita in iisdem *nullus per arterias umbilicales effluit* sanguis, si in *vivo* subiecto non *emanavit*, quare in dijudicanda illa *causa mortis*, an fœtus aut infans ob funiculum umbilicalem *non deligatum vita* privatus sit, sequentes circumstantiæ annotandæ sunt: videlicet 1) an funiculus *totus* avulsus sit, an tantum *aliqua ex parte rupturam* passus fuerit, 2) an in eodem *tantum vena umbilicalis*, an simul *una aut utraque arteria* dilacerata sit. 3) an fœtus *ante partum paucis diebus* aut horis *motu* se prodiderit, 4) an *ante partum & sub eodem* fonticæ ac minosæ *difficultates* obtigerint: 5) an vasa umbilicalia sanguine *vacua & exhausta* fuerint. 6) an etiam interiora *vasa & viscera*, sanguinem aliàs *continentia*, nunc valde sanguine *destituta* sint, siquidem per talem *lethiferam* funiculi umbilicalis *hæmorrhagiam* ordinariè & *constanter* illa sanguine *privantur*, ac *evacuata* conspiciuntur, ut propterea Medici corpus delicti primum *inspicientes*, & de viso ac reperto *dijudicantes sollicitè* hanc circumstantiam inquirere, annotare, referre & *distinctè* describere debeant, an in genere *sanguinis evidens penuria* deprehensa fuerit, ut & *qualis* status viscerum *sanguiferorum*, utpote *hepatis, cordis & lienis* deprehensus fuerit: nam de *mortifera hæmorrhagia* funiculi umbilicalis, præ-
 untibus attentis medicis, alii indicant, *an & quantum* de sanguine in fœtu & infante invenerint: allegamus huc verba BOHNII *l. c. p. 185. disquirere convenit per cadaverulli sectionem, num vasa hujus majora sanguine adhuc scateant, unde non propter laceratum minusque obturatum Fu-*
nicu-

niculum natum periisse probabile fit (si videl. parum sanguinis ex eodem effluxit) *secus si hæc evidenter exinanita deprehendantur*: ita variis locis laudabili solertia *Acta Berolinensia loc. alleg. & quidem Decad. I. vol. 2. p. 119. testantur*: *vasa sanguifera depletissima & vacua reperta*: *vivus hic præsumitur fætus, quia sanguis ex suis vasis effluxit, extra quem statum motus sanguinis hujusque fluiditas cessat*: *Dec. I. vol. 4. p. 87. commemoratur*, quod funiculus umbilicalis *exsanguis, pallidus & non deligatus inventus fuerit*: *notanter præterea, tota sectio fere erat incruenta*: *non enim saltem vasa umbilicalia & umbilicus ipse, sed & reliqua vasa sanguifera abdominis cum ipsis connexa depleta & vacua reperiebantur. Vol. 8. p. 68. extat testimonium*: *in vasis læsis parum & nihil ferme cruentabat*: *Vol. 9. p. 62. vasa majora vena cava & arteria magna erant collapsa & sanguine plurimum exhausta*: *Dec. 2. Vol. 9. p. 73. in corde & majoribus ejus vasis nullus apparebat sanguis*: *Vol. 3. p. 48. funiculus umbil. avulsus & non deligatus erat & propendit portio 5. unciarum longa, sanguine exinanita. Vol. 6. p. 80. Sectio erat incruenta*: in RICHTERI *decis. med. forens.* p. 353. extant verba: *an seinem Nabel hieng die Nabelschnur guter 2 Finger lang unverbunden, von der Nachgeburt abgerissen, doch nodosus und candidus, vom Geblüte aber ganz leer, weiter sahe man euserlich nicht das geringste; worauf die Brust geöffnet wurde, und befunden, daß das Herz weck und nicht ein Tropffen Blut darinnen zu finden*: & p. 658. *war in partibus musculosis und hohlen Leib bey der Section fast kein Blut zu sehen.* 7) *Præterea advertendum est, an in illo loco, ubi infans primum post avulsam funiculum umbil. decubuit, nec non in involucribus, quibus ipse comprehensus fuit, multum aut parum sanguinis observatum fuerit*: siquidem communiter *cruentatio illa ex funiculo*

umbilicali *lethifera*, satis *notabili* effusi sanguinis copia, se prodit: addimus huc verba BOHNII l. c. *Circumstantiam* illam (videl. quod *culposa funiculi administratio* agnoscenda sit) *dignoscimus primo*, si vel *linreamina*, quibus natus *involutus*, vel *locus*, in quo *occultatus* repertusve, multum *crucoris profusi ostendant*: *cujus momenti intuitu a facultate nostra 1709. d. 30 Martii prænunciabatur hunc in modum: cum testantibus Actis vix ultra horam in partu transegerit mater, pone cistam autem, ubi natus latitaverat, parum satis crucoris observatum fuerit, credibile magis videri factum intra uterum obuisse; dum vivus natus non deligato funiculo, plus sanguinis rejecisset, adh. scil. naturaliter tepescens & motu cordis plus minus integro, ast post partum demum per illius deligationem neglectam interfectus: annectimus testimonium Act. Berol. Dec. I. Vol. 9. p. 60. indusum quo infans mortuus involutus offendebatur, sanguine multum erat commaculatum.* 8) præc. observatur in subiecto, a tali *prodiga hæmorrhagia* defuncto, *cor & hepar pallidum, flaccidum & collapsum*: nec non 9) totus *externus habitus valde tabidus, exsuccus & pallidus*, 10) *abdomen etiam admodum est collapsum*: 11) si temporis *opportunitas* concedit, quando videlicet *brevi post partum mortuus* invenitur infans, annotandum est, an hic adhuc *tepidus* sit, quod illius *vitam modo extinctam* indicat, an vero *frigidus*, quoniam *fœtus in utero mortuus frigidus* excluditur. *vid. AMMANNUS Prax. Vuln. leth. dec. 6. hist. 1. p. 404.* es wird keine todte Geburt warm, sondern allezeit kalt gefunden; es wäre denn, daß solche in ipso enixus momento stirbe. RICHTER in *decis. med. for.* p. 355. *ex relatione medica in casu inculpati infanticidii, eadem allegat verba:* 12)

Subin-

Subinde etiam *medici referentes* & deponentes significare debent, an funiculus umbilicalis, disruptus & *dilaceratione* separatus, an *resectus*, ut & an *proximius* ad corpus *fetus*, aut *placentam* uterinam liberatus fuerit? 13) qualis *color* illius funis fuerit, an jam in *flavedinem* & *livorem* inclinaverit, an *adhuc albicans* extiterit, an ipse funis *crure* admodum *maculatus* apparuerit, an denique 14) hic funiculus præter reliqua *indicia separationis* & *omissæ ligaturæ*, variis aliis *impuritatibus extrinsecus* inquinatus fuerit: ex quibus & forte *adhuc aliis* colligere licet, an *fœtus* aut *infans* ob ejusmodi *hæmorrhagiam umbilici* & *vasorum umbilicalium* *vita orbatus* sit.

§. VII.

Et talis causa, *mortem* infantis afferens, non raro in *criminalibus* æque ac *medicis practicis* casibus occurrere solet, attamen haud *promiscue* ex hac circumstantia *non deligati* & *dilacerati* funiculi umbilicalis *infanticidium* commissum indicandum & *dijudicandum* est: si enim *prædicti* *Jcti limitationem* aliquam admittunt, quando funis hic ob *imbecillitatem* & *imperitiam* puerperarum *non deligatus* fuit, ita pariter in *medico* foro *non levis*, sed *notatu dignæ* limitationes & *exceptiones à regula* in hac circumstantia occurrunt, quas eapropter præsentis disquisitione perpendere placet, ut casus illi forenses quoad singulas tales *exceptiones* ac *limitationes* melius inquiri, *discerni* & *dijudicari* queant: huc pertinent certa interpretatione & applicatione verba LUTHERI in *Genes. c. 29. v. 28. p. 617. a.* Wann ein Medicus stracks nach der Regul will fortfahren, so tödtet er viel Leute: Man muß zwar den Regeln folgen, aber nicht so dürstig und mit Frevel: dann es kan irgend ein solcher Fall kommen, der nicht will der Regul unterworfen seyn. Medicus itaque
malo

malo iudicio in forensibus ad aliorum mortem & supplicia concurrat. Etenim valde erronea, *fallax*, præcipitata ac *inapplicabilis* esset conclusio, quod, quia in aliquo nato infante *funis* hic *non* deligatus, aut simul *disruptus* repertus fuit, ea propter *absolute* & *sine exceptione* ille ex *intentione* & *deliberato* animo interfectus sit: quare *Œti* urgent *illam* circumstantiam, an suspectæ puerperæ cum *intermissione* ligaturæ funiculi *animum occidendi* habuerint; quam quidem quæstionem plurimæ ob *salvandam* suam vitam *negativa* resolvunt, donec per quæstionem *rigorofam*, aut *alium* modum eruendi veritatem, ipsis alia responsio & confessio *extorqueatur*, aut ab iisdem obtineatur: quoniam itaque hæc *avulsio* funis umbilicalis *varias* ob causas obtingere potest, ita *nonnullas* illarum indicabimus: ita enim interdum natus infans *malitioso* animo a sua matre per *negligentiam* vita privari potest & solet, quamvis funiculus umbilicalis *non discerptus* & dilaceratus sit, quando *prompto partus* successu infans, funiculus & placenta uterina *simul una cobæsione* per partum excluduntur, ut deinde nefanda ac scelestæ puerpera totum hunc apparatus projiciat, permittatque, ut infans in *tali squalore* pereat; ubi non quidem *immediate* ex funiculo umbil. *letifera* hæmorrhagia contingit, alit quia funiculus *non deligatus* est, *arteriæ* interea umbilicales sanguinem in placentam hanc avulsam & adhuc *conexam* projiciunt, e qua nihilominus *mortiferum* illud profluvium sanguinis succedit, hinc in tali casu infantis mors ob *omissam separationem* & *deligationem* ejusdem funiculi ortum trahere potest & solet. Proinde vero *sine culpa* puerperæ *avulsio* hujus funis & *periculosa* sanguinis

nis profusio accidere potest, quando sub *efficacissimo* spasmō uteri, inopinatō, *stantes* aut *obambulantes* gravidæ *subitaneam* & *haud cobibendam* ac retinendam projectionem infantis *ex utero* experiuntur, daß das Kind schnell und heftig von ihnen schiesset, auf die Erde fällt, und entweder plöghlich tödtlich verlehēt wird, *contundendo*, *concutiendo* & *deprimendo caput*, *verticem*, *occiput*, *parietalia ossa*, *nucham* &c. vel *dilacerando funiculum umbilicalem* & subinde *lethalem hæmorrhagiam* infantis subeuntis; quando itaque sub *tali casu* puerpera sola, *aliarumque personarum ope destituta*, subinde aut præcipiti *lipothymia* obruta, aut extreme *enervata* est, tunc facile *sine malo* animo infans perire potest: & quamvis AMMANNUS in *Praxi Vuln. lethal. dec. 6. hist. 1. p. 404.* existimet, quod non facile a tali præcipiti projectione infantis *ex utero* hic funiculus, quia aliquo modo *densus* & firmus est, dilacerari queat, tamen non modo observatio, sed & ex eadem BOHNIUS *l. c. p. 185. 186.* contrarium docet hisce verbis: *disruptum eundem funiculum casu & fœtu à parturiente stante in humum ex improvise præcipitato non raro accusant, de Infanticidio suspectæ, firmantur etiam in effugio hoc à Patronis Causæ: Quibus equidem aliquando graves accidunt nonnulli medici, divulsionem ejusmodi Funiculi, utpote secundum naturam tenacioris ac validioris compagis, nisi à corruptione fuerit arrosus, perquam difficilem asserentes, simulque metuentes, ne per præcipitationem nati impetuosiores, secundina potius, forte cum utero quoque protrahatur seu evellatur, quam funiculus rumpatur.* Ab obstetricibus nihilominus peritioribus denotatum novimus, Parturientibus stantibus sibi que solis relictis, fœtum cum impetu

*ejusmodi exturbatum, illum lacerasse & quidem in bujus parte modo altiore, modo profundiore, seu illi propiore, nisi extraordinariæ magis longitudinis hic extiterit: tale testimonium peritæ obstetricis occurrit von der Berlinischen Wehmutter, quæ cap. 6. p. 128. dicit: Es solte sich ein solches Kind wohl todt stürzen, wann Gottes Güte nicht so groß wäre, und könnte leicht geschehen, daß durch das Abreißen der Nabelschnur, welche so tief in den Leib reißen möchte, sich das Kind todt bluten müste: derowegen kan sich eine solche Frau mit dem Niederlegen vor dergleichen Gefahr gar wohl bewahren, wann sie will: & quoniam funiculi umbilicalis longitudo sæpe discrepat, ita talis læsio & ruptura in eodem fune paulo breviori & sub præcipitato partu facilius contingere potest: quæ circumstantiæ, modo nominatæ singulæ, curatius indagandæ & conciliandæ sunt, quoniam in parientibus, præcipitato partu obrutis, variæ alterationes accidere & intercurrere possunt, quæ illas ad consilia & auxilia extemporanea inveniendæ & colligendæ ineptas reddere valent: exinde concludimus, quod juxta prædictas circumstantias funiculus umbil. disrumpi & ob consequentem nimiam hæmorrhagiam infans vita privari queat, licet puerpera innocens & ab omni dolo libera sit: ast maxima circumspæctione circumstantiæ illæ conferendæ & discernendæ sunt, ne malitosæ fæminæ sub hac animadversio-
ne ac limitatione protectorium quærant, neve fraudulenta astutia tales circumstantias simulent, quibus se dein exculpate & excusare nituntur.*

§. VIII.

Evenit etiam, ut fætus ante partum in utero moriatur, mortuus aliquandiu illico detineatur, initia corruptionis corpore & funiculo suo assumat, difficili tandem partu

partu excludatur, ut interea *funis ille rupturam* patiatur, nec aliquid *sanguinis* inde effluat, in quo casu omnes jam commemoratae circumstantiae verae ac *indubiae* esse debent, si Medicus decernere vult, quod *ruptura* ac *intermissa* deligatio funiculi umbilicalis *non causa* mortis fuerit, quemadmodum *signa corruptionis* facile sese exserunt: hanc causam rupturae funiculi allegat DIONIS *in tr. de generat. & partu homin. Lib. 3. c. 6.* in hoc etiam nullus defectus sanguinis *in corpore* foetus deprehenditur, quid quod *causae* à peritis medicis facile indagari possunt, *cur* foetus hic *ante partum mortuus* fuerit, quae *causae* cum signis *mortui* foetus *conciliatae*, facile praesentis animadversionis *veritatem* comprobant: quod si itaque talis foetus mortuus per partum exclusus fuerit, tunc deligatio funiculi umbilic. ridicula esset: Quando porro *tenerior* ac *gracilior* foetus existit, funiculus etiam umbilicalis *similes* qualitates habet, ut eloquantur mulierculae, es wäre ein schwaches, elendes, geringes, kleines Kind, si partus fuit *difficilis* & sub hoc puerpera magna *virium imbecillitate*, aut *animi deliquio* afflicta est, tunc ipsa vel *in scia*, vel ad opitulandum *inepta lethifera* illius funiculi umbilicalis *dilaceratio* & consequens *Haemorrhagia* accidere potest, in quo casu tamen *evidentia* signa *profusi* sanguinis praesto sunt, quamvis haec omnia *invita* puerpera evenire potuerint: Quando foetus *vivus*, perfectus & *integer*, *justo* tempore ad partum adigitur, qui vero aut circa *collum*, aut *brachium*, aut *pedem* hoc funiculo *circumductus* est, si vel ob hanc, vel ob aliam causam *difficilior* partus supervenerit, tunc iterum *sine culpa* parientis funiculus *dilacerari* & sanguis lethali eventu *profundi* potest, quam

circumstantiam iterum commemorat DIONIS *l.c.* interim negari etiam haud potest, quod vel puerperæ *clanculum* parientes ob *negligentiam* sub hisce circumstantiis *lethalem* ejusmodi *rupturam* funis causari queant, vel *imperitæ obstetrices* tale quid efficere possint: idem etiam accidit, ut fæminæ *clam* parientes sub *angore* mentis sibi metipsis in partus labore suppetias ferre contendant, at improvide & vehementer fœtum *ex sinu* muliebrium *extrabant*, hocque modo iterum *funiculo*, licet interdum *sine animo occidendi*, vim inferant, unde *lethalia* confectaria proveniunt: Quodsi funiculus *brevior* fuerit, aut circa *membra* quædam fœtus *circumductus*, quando tunc fœtus talis *convulsivis* motibus agitatur, æque accidit, ut funiculus ille in *utero* *disrumpatur*, ac confestim illico *mortifera hæmorrhagia* accidat, adeo, ut *ante* illius embryonis *partum* sanguis ex utero affatim effluat, tunc vel *debilis* & *sanguine plurimum* exhaustus fœtus paritur, vel plane mortuus, cujus funiculus abruptus, nec deligatus est, qui tamen iterum *non culpâ puerperæ*, aut ob illius *negligentiam* vitâ destitutus apparet: id quod in *legitime maritatis* ac innocentibus fæminis evenire potest & solet, adeoque in *casibus forensibus* & *dubiis circumspecte* annotari & dijudicari debet: Quodsi porro ante fœtus partum *placenta* uterinâ ab *utero* *separetur* & *avellatur*, interea vero *magna* profusio sanguinis non modo ex *uteri* substantia provenerit, sed etiam *intermedia* illa placenta ex *ipso fœtu*, qui ea propter *in utero* adhuc moritur & tandem per partum exturbatur, obtigerit, tunc in fœtus corpore talis *penuria sanguinis* facile observatur, licet ille per *funicu-*

niculum umbilicalem placentæ adhuc *annexus* sit : quid quod idem conspicitur , si ob prægressum *difficilem* partum ille funis ab eadem placenta *avulsus* , *minusque deligatus* fuit, dum *antea* in *utero* enormis hæmorrhagia *citra culpam* matris causam obitus in fœtu suppeditavit : & talis casus *præmaturæ* profusionis sanguinis *ex utero ante partum* & *puerperæ* & *fœtui* valde *periculosæ* ac *perniciosæ*, in communi observatione haud *inauditus*, aut valde *rarus*, sed perquam cognitus est, *vid. MAURICEAU de gravid. & puerp. optima medic. Lib. 2. c. 28. VÖLTERS Hebammen-Schule p. 28. DIONIS l. c. Lib. 3. c. 24. Berlinische Wehmutter c. 6. p. 110. sq.*

§. IX.

Hiscæ *limitationibus* ac observationibus adhuc plures annectimus; accidit enim, ut interdum *puerperæ* ob *gravitatem* partus & *acerbitatem* dolorum *convulsivis* motibus afficiantur, sub quibus *rationis* suæ *impotentes* vehementer & *impetuose* aliquando pariunt : hinc iterum contingere potest, ut si ejusmodi parturientes *solæ* fuerint, sub ejusmodi concussionibus suorum *membrorum* *citra intentionem* infanti nato *violentiam lethalem* inferant, aut pedum *calcitracione* funiculum umbilicalem *dirumpant*, ut ob supervenientem *mortiferam hæmorrhagiam* infans vita privetur : quæ tragœdia aliquando ipsa *puerpera inscia* procedere potest, ut ita fœtus ob dilaceratum & non deligatum funiculum umbilicalem *sine culpa* matris adhuc in *utero* perire queat : ast tales casus ac circumstantias *non in fraudem* accipere, ducere & applicare debent, vel *malitosæ* *fæminæ*, vel *iniqui* aut *male instructi*

defensores, quin rectius quoad hasce circumstantias, seposita credulitate & præcipitantia, judiciosa ac assidua *circumspectio* tenenda & observanda est: huc pertinet etiam illa observatio, quando proxime *ante partum* in utero latitans fœtus, vel *breviori* funiculo umbilicali instructus, vel mediante fune paulo *longiori* circa *collum*, vel *artus* circumductus, *convulsionibus* corripitur, ut sub tali *fortiori* agitatione funiculus hic *dirumpatur*, proxime vero sanguis inde *emortuali* profluvio effundatur ac projiciatur, tunc fœtus communiter aut *ante partum*, aut *sub hoc* expirat, *dilaceratum* talem funiculum secum affert & corpusculum *sanguine exhaustum* oculis subjicit: in quo casu *larga* & enormis sanguinis profusio ex utero obtingit: nec non alio modo accidere potest, ut fœtus in utero de *collo*, aut *artibus* cum funiculo hoc *arcte* circumvolutus, *convulsionibus* corripatur, sub quibus non modo ille funis *arctius* constringitur, sed & discurrentia *vasa sanguifera* obstipantur, ut propterea sanguis ad fœtum nec *affluere*, nec ab eodem *resluere* queat, sed hic *progressus* inde plane *cohibitus* sit, si tandem per ejusmodi *convulsivos* motus funiculus ille *abrumpitur* & proxime fœtus moritur, tunc post partum avertitur hic embryo funiculo *dilacerato* & *non deligato* instructus, at tamen in corpore fœtus *non observatur defectus* sanguinis, nec etiam *extrinsecus corpus sanguine* admodum commaculatum deprehenditur, nisi aliquando mortuus ille fœtus *in utero* retentus fuerit; interim varia alia signa *præviarum convulsionum*, aut strangulatorii effectus, a funiculo umbilicali excitati, annotantur. Si præterea sub
partus

partus processu *prius frustulum* funiculi umbilicalis ex utero prolabitur, clanculum vero aut parientes, aut *operarum* personarum destitutæ, si forte *inopinatò* & in *incongruo* loco *motibus* & doloribus ad partum tendentibus obruuntur, magna vero animi afflictione, consternatione & angore detentæ *sibimetipsis* auxilium ferre nituntur, adeoque propendens illud frustulum funiculi arripiunt, huc illuc tendunt trahuntque, aut plane *dilacerant*, ut *grave sanguinis profluvium* superveniat, indeque fœtus in utero delitescens ad mortem deducatur, aut si *post* hanc avulsionem & rupturam funis, subito *uteri orificium* potenti *constringatur* spasmò, insuperque *occlusum* illud frustulum funis *propendens* ac disruptum una *opprimatur*, ut *nullus sanguis* effluere, sed in fœtu *reclusus* subsistere teneatur, si *mors* hujus fœtus *supervenit*, tunc per *consequentem* partum excluditur infans cum *dilacerato* funiculo *mortuus*, in quo ille funis *haud* *ligatura* firmatus est, subinde in corpore fœtus nulla sanguinis jactura conspicitur: in quo casu aliquando iterum puerpera *sine culpa* esse potest: quamvis vicissim aliæ nefandæ & malitiosæ fœminæ idem cum *animo occidendi* committere possint: quoniam itaque tales casus *ambigui* sunt, eapropter in decidendis illis curatior *circumspectio* habenda erit: Haud vero *læsio funiculi*, fœtui, adhuc *in utero* existenti, ab externa *contusionis* vi accidere potest, ni talis violentia *ita enormis* sit, ut præter *periculum*, quod *matri* imminet, varia *alia*, satis *evidentia* signa illatæ hujus *extraneæ* læsionis appareant; caveant itaque providi & periti medici, ne *præcipiti* deciso *fallaciam* causæ committant, siquidem ad hujus funis læsionem

pro-

proximiores impetus ac violentiæ, quam distantiores requiruntur; præprimis dum in *cavitate* uteri funis ille sub variis circumstantiis insultus *violentos* eludere potest.

§. X.

Aliquando accidit, ut natus infans funiculo suo *separatus & non deligatus*, aut *firmius* linteaminibus *circa abdomen* involutus sit, ut ob talem *compressionem* funis ille sanguinem profundere haud potuerit, id quod in infantibus *neo-natis debilioribus* *facilius* accidit, in quibus *cordis motus* lenis, tardus ac *debilis* est, ut eapropter *circa exitum arteriarum* in puncto & *loco umbilici*, præubi *exterior compressio* concurrit, aliqua illarum occlusio & hæmorrhagiæ interceptio contigerit: quando itaque sub ejusmodi circumstantiis infans adhuc vivus *deponitur*, neque necessario *alimento & regimine* fovetur, tunc ob aliam causam vita destitui potest, sicut funiculus *resectus*, nec *deligatus* fuerit; ad quam observationem spectant verba judicii & responsi medici *Fenensis*, quod recenset *RICHTER in decisionibus forensibus p. 262.*

Es scheint aber, daß in diesem casu solche (nehmlich der Todt wegen unverbundener Nabelschnur) nicht vornehmlich zu allegiren, sondern vielmehr auf die intendirte, und durch Versteckung des schon schwachen Kindes unter eines erwachsenen Menschen Deckbette, Erstückung zu reflectiren, und diese als causa suffocationis & mortis zu allegiren sey, weil das Kind, ungeachtet es von Mitternacht bis wieder gegen Abend in der rauhen Herbst-Lufft ohne Nahrung gelegen, dennoch noch gelebet gehabt, und man, nachdem es todt gewesen, keine Anzeigung des durch die Nabelschnur vergossenen Geblüts gefunden, dessen Ausfluß sonder Zweifel, durch die Einwicklung in das Küssen und folglichen compression, gehindert und zurückgehalten worden ist; anderer gestalt es nicht so lange würde haben leben bleiben können, wenn der bey drey Viertel Ellen lang gelassene funiculus nicht wäre contorquiret und comprimiret worden.

Quam ob rem negari minime potest, quod in
certis

certis casibus ob funiculum non deligatum, ab alia causa mors nati infantis provenire queat; quando videlicet dissectus funiculus ulteriori successiva contorsione constrictus & transitus sanguinis eo ipso cohibitus, proinde vero frustulum illius funis linteaminibus compressum fuit, qualis tractatio vices deligationis gerit, ut dein infans ob aliam causam moriatur & posthac funiculus minus deligatus, corpus vero sanguine sufficiens repletum inveniat: in qua posteriori circumstantia rite dijudicanda, interest, ut quoad situm ac statum funiculi quaestionis post mortem infantis inventi, nulla mutatio, translatio & improvida contractio successerit: Haecenus allegatis exceptionibus à regula annumeramus porro hanc notatu dignam circumstantiam, quando infans summe debilis in lucem editur, ut velut exanimis compareat, sub quo statu pro mortuo non raro habetur, ut variis adminiculis velut revivificari debeat: hinc ob eximiam talem imbecillitatem interdum natus infans vel parum, vel nihil respirat, (quæ circumstantia eapropter experimentum cum projectione pulmonum in aquam similibus limitationibus ac exceptionibus submittit) producimus quoad hanc observationem testimonium BOHNII l. c. p. 177. inquit: quatenus per observationes muliercularum quoque evidens est, quas suas etiam olim faciebat Facultas Medica Witteb. Nobil. in causa seu suspitione infanticidii aliquando renuncians, adeo debilem atque infirmum interdum excludi partum, ut omni Sensu, Motu ac Respiratione per aliquot momenta s. notabile tempus destitui videatur &c. in tali foetu si funiculus umbilicalis abrumpitur

ob *debilissimum* cordis motum ac *extremam* virium prostrationem sanguis in *exteriores* partes haud propellitur, unde vix in *iliacas* devenit arterias, *difficilius* in umbilicales, eaque propter per *dilaceratum* talem funem, quamvis *ligatus* haud sit, sanguinem haud profundit, adeoque sub tali imbecillitate, forte à *partu difficili*, aliisque causis excitata, è vita discedere potest ac solet infans, ut praesente licet fune *disrupto*, nec tamen *deligato* sanguinis in corpore embryonis *nullus* annotetur *defectus*, in quo propterea *aliæ* mortis causæ indagandæ & significandæ sunt: producimus hoc loco testimonium *Facultatis Lipsiensis*, quod ZITTMANNUS profert in *Med. Crit. Cent. 2. Cas. 20. p. 410. n. 2.* verba sunt: Daß ein Kind, wann es durch die gelöste Nabelschnur kein Blut vergeußt, nicht gewaltsamer Weise, sondern zu vermuthen, daß es vielmehr aus einer sonderlichen innerlichen Schwachheit sterbe: *vid. Berlinische Wehmnitter c. 6. p. 132.* Ich will nu geschweigen, wie es das Blut in der Nabelschnur bey schwachen und halb todten Kindern thun sollte und könnte: da offft bey dergleichen halb todten Kindern nicht ein Tropffen Bluts mehr bey dem Lösen in der Nabelschnur zu finden ist: Es ist mir selber wiederfahren bey solchen schwachen Kindern, daß ich nicht einen Tropffen Blut in der Nabelschnur gefunden, bis sich das Kind wieder erholet habe, eines eher, das andere später, wie sie sich haben erholen können.

§. XI.

Supereft adhuc una alterave *exceptio & limitatio*, quam coronidis loco prioribus adjungere placet: accidit itaque, ut infanti nato *funiculus* umbilicalis *abripitur* & dilaceretur, *haud* vero *deligetur*, imo aliquando *proxime* ab umbilico abrumpatur, *cui loco* dein *fæminæ varia*, quæ ipsis ad manus sunt, sub tali anxietate imponunt, sive fuerint *cineres*, sive *segmina lignosa*, straminea,

nea, ecenosa, muscosa, foliacea, sabulosa, fruticosa, aliaque, cum quibus illa *ruptura & denudata* vasorum *sanguiferorum* ostia occluduntur & *obstruuntur*, hocque modo *exitus* sanguinis *cohibetur*, ut posthac *nulla* illius in corpore infantis observetur *inopia*, & si talis infans *vita fungitur* perperam causa *abrupti* funiculi & *hæmorrhagiæ* (qualis tamen minus contigit) significatur & accusatur: ne itaque medicus in annotatione & indicatione *causæ erret*, sed *veram ac genuinam* proferat, interest, quod *banc* circumstantiam *circumspectus* & peritus medicus advertat: siquidem ejusmodi infans sub prædicta circumstantia, vel ob neglectum & denegatum *regimen*, ob injuriam *aeris & frigoris*, ob neglectum *alimentum*, ob omissam necessariam *repurgationem*, adeoque ob *squalorem*, ob *depositionem* in loca *abscondita*, ob *suffocationem* in & cum *lectis*, cum *stragulis stramineis* fixilibus tegumentis, ob *eximium virium* languorem, qui prægresso *difficili* partui aliquando suas debet *origines aliasque* causas vitæ jacturam passus fuit: Neve ullo modo *contradictio* formari queat, multum refert, quo medici *inspectionem* suscipientes & primam relationem ac *renunciationem* proferentes *curatius* in infantibus advertant, an nihil *monstruosi*, aut ex *vitio conformationis* in umbilico & funiculo umbilicali occurrat, qualis mutatio in *reliqua* casus *inquisitione & dijudicatione* multum utique momenti complectitur: Sicut ejusmodi *funiculum umbilicalem extraordinarium* describunt *A. N. C. Dec. 3. an. 4. obs. 113.* annotandæ vero veniunt *majores & ominosiores* tales mutationes & *deformationes*, haud

tamen: *leviores* ac minores variationes , quales passim prædictus HOBOKENIUS recenset: Tandem etiam notatu dignus ille casus provide conciliandus est, quando fœminæ aut sub *cælo* in *libero aëre*, aut loco valde *frigido*, vel plane *gelido*, vel sub *peregrinatione* aut defectu alterius *auxilii* clam pariunt, ut sub tali statu & *puerperæ* & *infantes* in *periculo vitæ* versentur, quamvis *animus dolosus* & occidendi in matre *absit*, hinc contingit, ut licet ejusmodi fœminæ *viribus animique* potentia & resolutione præditi fuerint, quo natum infantem a placenta *separare* & *resectum* funiculum legitime deligare potuerint, tamen ob *intensius frigus* tenellus neonatus citra matris culpam vita privetur: evenit etiam, ut *sub dio frigida* valde tempestate parientes, *doloso* animo & *deliberato* studio, nato funiculum plus quam belluino modo discerpant, *dilacerent*, nec tamen *deligatione* quadam firment, quam ob rem ob externum allabens gelu, *funiculus* ille, *gelatinoso* humore imprægnatus, *congelascit*, *umbilicus* subito constringitur & *vasa umbilicalia* simul repente *occluduntur*, sanguis eo ipso in corpore infantis coërcetur, interea ob *hoc* regimen, *perversum* pariendi processum extremam *offensionem* debilis infantis & præc. ob perniciosum *frigus*, ille natus infans cito *emortuali imbecillitate* oppressus, vitam amittit & ob subitanæ sanguinis *coagulationem* & *stasin* in corpusculo illius *mors subitanea* irruit, ut sub inspectione & visitatione defuncti, nulla *mortifera cruentatio* conspiciatur, præsentē licet funiculo *abrupto minusve* ligatura *firmato*, quamvis deinde *alia* indicia compareant, ex qui-

quibus *attentus* medicus indicare potest, infantem natum ob *nimum frigus* ac *privationem necessarii regiminis* subita morte extinctum fuisse: in quo ultimo casu impr. sanguinis *copiosa* repressio ad *interiores* vasorum sanguiferorum alveos, nec non *spissior* sanguinis *consistentia* & *obscurior* color observari, indeque efficacia *frigoris* in hunc omni ope ac regimine destitutum infantem annotari, indicari, probari & defendi potest: Omnes itaque hactenus commemoratae *exceptiones a regula* & *limitationes* quoad *funiculum umbilicalem* in casibus & causis *forensibus* curatius attendendae veniunt, quae medico insipienti, renuncianti & decidenti scitu perquam necessariae sunt, quae etiam iudici incognitae esse haud debent: etenim hae observationes viam in *intricatis* nonnullis casibus ad *veram*, certam ac *ingenuam* causam inveniendam patefaciunt, *difficultates* quasdam intricatas & spinosas solvunt, falsa refugia & protectoria, ubicunque fuerint formata, excutiunt ac intercipiunt, praecipitantiam in iudicando avertunt, malitiam in excogitandis falsis & fictitiis refugiis dissipant, multumque *connexum* usum in hoc aliis intricato statu, *examen funiculi umbilicalis avulsi* & *non deligati* concernente, probant & afferunt: *caveant* etiam *defensores* de *Infanticidio* suspectarum faeminarum, ne *frivole* & *temere* hisce *exceptionibus* utantur, neve protectoria *doli* & *malitiae* sub iisdem quaerant: dum quidem verum est, quod interdum *ex inscitia* ac *imperitia* quaedam committantur, in nati infantis mortem abeuntia, multa vero *dolo* ac *malitia*: dolus enim, ut CLASENIUS *in artic. 131. C.*

C. C. p. 548. ait: *includit scientiam, quod sciens infanticidium committat, non ex errore, vel casu aliquo, qui ab illa saltem persona talium rerum nondum ex asse perita prævideri non potuit, & voluntatem sive propositum, dum facta prius consultatione, an satius fuerit infantem occidere, vel vivum eum relinquere, tandem mortem eligit, adeoque eum studio & data opera occidit: exitus itaque sæpe docet, quod multorum defensorum inventiones, præsumptiones, excusationes ac technæ frustraneæ, falsæ, irritæ & imaginariæ fuerint: de quibus NB. malis defensoribus valet, quod DANNHAUER in Laet. Catechet. Part. 3. p. 169. prædicavit: Regenten, Richter, Referenten, Advocaten, Fürsprecher auch Kläger, Beklagte und Zeugen, die der Gerechtigkeit Gewalt thun, sind nicht Sacerdotes, sondern Stupratores justitiæ, nicht Rechtsgelehrte, sondern Rechtschänder: *justi defensores* ex præsentî tractatione *necessarias cautelas* colligere poterunt, ne *figmentis & falsis narratis suspectarum* fæminarum fidem facile præbeant, sed easdem re. Etius ad *ingenuam* confessionem admoneant, ne iudicium decipiant: Sufficiant hæc pro instituti nostri ratione præsentî themate explicasse: DEO humillimas agimus gratias, quod ad hunc laborem suo almo auxilio nobis adistere voluerit, quem ardentissimis precibus flagitamus, ut hanc præsentem opellam una cum reliquis nostris probis conatibus cum exoptato coronet successu
atque*

F I N E.